



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De conversione Conjugatorum. Consilium CCCCLXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De conversione Conjugatorum.

S V M M A R I V M.

De ingressu religionis ejus, quæ post solemnizationem matrimonium etiam condormivit.

1. Matrimonium non consummatum ingressum religionis non impedit.
2. Copula carnalis difficultis probationis est.
3. 8. 9. Marito asserenti se devirgasse uxorem credendum, concurrentibus præteritis circumstantiis.
4. 10. Mulieri asserenti se virginem, & offerenti inspectionem, an credendum.
5. Inspectio corporis fallax.
6. Intellectus c. Proposui De probat.
7. Puella quæ duodecim annorum est viripotens præsumitur.

11. Professioni religionis obstat metus.

12. Metus durare præsumitur durante eius causa.

13. 14. Puellam ad præfixum conventum recipere expedit, quæ majculos complexu experta.

CONSILIVM CCCCLXVI.

IN causa matrimoniali pendente coram Venerabili Viro Domino Officiali Cameracensi inter Gasparem Hertem Actorem, & Annam Oudenregghe Ream; unicus est difficultatis articulus: * non quidem circa matrimonium; id enim Rea aperte confitetur; sed circa matrimonij consummationem, & carnalem copulam, an scilicet dictum matrimonium devirginatione sit consummatum, sic ut per ingressum religionis invito Actore dissolvi nequeat? c. *Vxoratus*, c. *Ad Apostolicam de convers. coniug.* cum uxor nondum à viro cognita invito marito religionem intrare possit, c. *Ex publico De convers. coniug.*

2. Verlamur itaque in dubia & perplexa probationis fide; cum carnalis copula (ut cætera, quæ sine testium adhibitione fieri solent) difficulter probari possit, & directè ferè probari non possit, c. *Præterea De testib. c. Literis De præsumpt. Decius consil. 577. Viso copioso. 10.* * Cæterum cum aperto jure sit cautum, standum esse juratæ assertioni mariti, si asserat se uxorem cognovisse, & illa id neget, can. *Si quis accepit uxorem xxx. q. 1. Gloss. & Doct. in c. Continebatur de despons. impub. Felin. in d. c. Præterea nu. 3. Decius d. consil. 577. nu. 9. Jeanes Franc. Paymus de visitationib. quasi. 8. parit. 2. nu. 63.* ambigendum non videtur, quin attentà Actoris assertione, & juramenti obligatione desuper factà, secundum Actoris conclusionem sit judicandum; & Rea deneganda facultas Monasterium ingrediendi, aut continentiam profitendi, cum causa de raptorib.

4. Neque hanc sic judicandi necessitatem seu occasionem impedire potest contraria Reæ assertio, & probationis per inspectionem corporis faciendæ oblatio, ex eo, quod aperto jure decusum videatur, c. *Proposui* & c. *Causam matrimonij de probat.* statim juramento puellæ, si id comprobet septem mulierum testimonio, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseverent; quasi scilicet mariti assertio tunc tantum vincat, cum mulier per aspectum corporis contrarium non probaverit, Gloss. in d. c. *Proposui* & in d. c. *Continebatur*; sicut ex facto consultus in simili ferè specie respondit Petrus de

Conf. Wamef Tom II

Ancharano, *conf. 209. Facit dubium in questione prædicta.* † Nam præterquam quod hanc sententiam & opinionem pro comperta canon iple non habeat; quia sæpè manus fallatur, & oculus obstrictum, d. c. *Causam in fine*; ideoque Innocentius dixerit, in d. c. *Continebatur*, hujusmodi probationem per inspectionem non sufficere, sed standum potius esse assertioni viri, donec expressè per testes contrarium appareat: ex circumstantiis rerum & causarum, limitationem ac restrictionem accipit; atque ipsis canonum verbis intra suos fines & limites restricta est. * Nam non simpliciter dictum est, in d. c. *Proposui*, de nuda mulieris seu puellæ negatione, sed adita est negationis probabilis causa; quod scilicet nec à viro fuerit cognita, nec cognosci potuit, Id quod ex tribus potissimum causis evenire solet; vè quia viripotens non erat mulier ex ætate aut corporis habitu, c. *Fraternitatis De frigid. & malef.* vel quia is, qui maritus dicitur, frigidus sit naturæ, ut officio mariti fungi non potuerit, c. 1. *De frigid. & malef.* vel denique quia locorum intervallis sic à se invicem fuerint separati, aut ex temporis ratione, aut ex aliquo facto sic impediti, ut copulam admittere aut habere non potuerint, aut etiam alteruter eorum non voluerit: ut contigit in facti specie tractata ab Ancharano d. *conf. 209* & de puella rescriptis Honorius Tertius Papa, in d. c. *Causam*, in qua ætas puerilis præsumptionem adjunxit negationi.

At in proposita facti specie, cum omnes circumstantiæ in diversum trahant, omniæque concurrentia assertioni mariti sint consentanea, & negationi mulieris adversantia, aliud sit tuendum est; & ab hujusmodi fallaci incertoque probationis genere per inspectionem corporis abstinendum, can. *Nec aliqua xxvii. q. 12.* In primis enim cum coeundi fuerit impotentia, aut juris vel facti impedimentum, inspicendi quoque nulla debet esse occasio, * Hoc namque constat dictam Ream, quo tempore per verba de præfenti cum Actore contraxit, plurquam viripotentem fuisse; nam videlicet annos octodecim: certissimam enim & generali præsumptione viripotens creditur, quæcumque duodecim annu ætatis egressa est, §. 1. *Instit. Quib. mod. tut. fin. l. fin. C. Quando tut. vel cura esse des. imò quandoque ætatem malitiæ suppleante etiam ante duodecimum annum, c. De iis De despons. impub. nisi fortè arcta aut ex alio defectu virilibus aut puerilibus inidonea sit; quod pro parte dictæ Reæ nusquam allegatum fuit; eoque respicit distinctio per Alexandrum Tertium proposita, quod mulier non audiat, quæ pubertati proxima asseritur cognita, d. c. *Continebatur*.*

Nam quod Rea in sua responsione allegavit de dolore, quem cum devirginaretur patiebatur, non tam concludit defuisse devirginationem, quam illam potius contigisse: cum ex medicorum sententiâ, & quotidiana experientiâ constet primas mulierum coitiones, seu devirginationes sine dolore non esse; hujusmodique dolorem in veneram voluptatem non converti, nisi ex frequentiore usu seu reiteratione, c. *Fraternitatis in fine in verb. & per frequentem usum De frigid. & malef.* quem frequentiore vltum, subtrahit per curatores dictæ Reæ, & in Monasterium detrusâ, Actor

li 4

repete

repetere & continuare non potuit. Constat quoque ex eadem responsione Reæ, necnon ex alia (quæ credit Auctorem prius uxorem habuisse, & ex ea prolem suscitasse) Auctorem impotentia nullâ laborasse: non frigiditatis, quia prius prolem procreaverit, *Gloss. in c. fin. in verb. cognoscendi De frigid. & males.* neque etiam maleficii, cum Rea fateatur ex compressione Auctoris se dolore affectam fuisse: quod non nisi cetera potentia contigisse potuit. * Constat & tertio, neque ex loco, neque ex tempore ullum impedimentum à prolatis verbis fidei dationis intervenisse, quod minus commiseri potuerint: cum ipsa Rea constiteatur se deductam ad domum Auctoris, Auctori nudo nudam per integram noctem condormivisse. Sic ut concurrentibus his omnibus (ex quorum defectu prædictæ inspectionis causam oriri diximus) nihil dubitandum sit, in id ex adverso certissimâ juris præsumptione constituendum, Ream carnaliter cognitam & perfectè devirginatam fuisse, d. r. *Lueris De præsumpt.* ab eo præsertim, qui ceteri consuetudini in priore suo matrimonio adheverat; & in quo nulla est verisimilitudo, quod non cognitam à se dimissurus erat. Sic ut Ovidianum illud hic occurrere possit:

A juvene & cupido credatur reddita virgo?

10 * Cum ergo probationes sint arbitrariæ, & ex variis rerum circumstantiis Iudex animi sui motum possit informare, l. 3. *§. ideoque, versic. tu magis De testib.* & in formando ea sequi magis teneatur, quæ retractiora, & vero proximiora cõperit, l. *Ob carmè in fin. De test.* consequens esse videtur, ut quem admodum si ultro dicta Rea se per honestas, & in arte peritas mulieres inspicere curasset, earum quæ testimonio usa esset, eis secundum prædictam fidem non habere deberet Iudex: ita quoque nunc impedire possit, ne Rea oblatam inspectionem faciat, aut in inspectione faciendâ spem aliquam collocet. Quæ enim causa factum tollit, aut inutile reddit, ea multo magis obitare debet, ne fiat, l. *Inter stipulantem §. sacram de verb. obligat.* Quod hic proclivius sequendum, vel ob id, quod pudicitia & honestati plurimum adversetur indecora illa corporis inspectio & tractatio, l. *Indecorum C. Quando tut. vel curat. esse des. §. 1. Inst. Quibus mod. tut. fin. Tiraguel delegib. connub. Gloss. 1. part. q. nu. 22. & 23. quæ etiam iudicium fallacissimum in se continet, d. c. Causam qua in fine.*

11 Neque religionis favor hic aliquid operari debet; tum quod Rea per Curatorum minas, & violentas coactiones ad Monasterium sit perducta, & invita illuc detrusa; ut fateatur in responsione ad vigesimum quintum articulum: Deo autem voluntariè sacrificari, & votum emitti debet, c. 1. *De regular. c. præsens xx. q. 3. * Qui metus quâmdiu Rea erit in custodia Monasterij, inhiantis ad magnum emolumentum ex bonis Reæ, & dictorum Curatorum. ipsdem bonis Reæ insidiantium, auxilio & consilio regetur, adhuc dure præsumetur metus, causâ scilicet durante, Decius cons. 279. Visopuncto nu. 5. * Sic ut malo initio inchoata hæc vitæ transmutatio, in adolescentulâ, masculos congressus expertâ, si non omnino perfectè & delicatè (ut ipsa asserit) saltem aliquatenus, malum & difficilem exitum*

sit probabili præsumptione habitura, c. *Præcipatus l. q. 1. c. Miramur et. distinct. in Authen. Quomodo oport. Episc. 6. in princ. & quod probabiliter metui possit, commemoratione eorum, quæ Rea in mariti congressu experta est, integros aliarum virginum monialium animos corruptura. Sic ut rectè huc accommodari possit Divi Cyrtiani sententia, in c. Nec ali qua xxxvi. q. 2. cum dicit: Nec aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quæ inspicere & probare non possit an virgo sit, cum etiam manus obstrictum, & oculus sæpe fallatur, & si incortum inventa fuerit virgo, ex ea parte qua mulier potest esse corrupta, potuerit tamen ex alia corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, & tamen inspicere non potest. Ceteris concubitus, ipsi complexu, ipsa consubulatio, & insubulatio, & consensum duorum virg. & sedâ duntaxat quantum de decore & crimine consentitur? Cum alioqui lea inis & sanguinis commixtio, quæ copulæ perfectionem constituit, Archidiaconi in c. Extranearia xxxv. q. 3. & in c. De sponsal. lib. 6. inter matrem & feminam facillimè contingat. Et non desunt exempla, quibus aliquæ aliquando conceperunt, atque adeo etiam pepererunt; quæ tamen negabant, & cetero etiam credebant se ex aliquo suo lentu non fuisse devirginatas, Summa sive si. & Angelica in dict. Matrimonium in 15. impedimento Fallere sane potuit Ream novi operis inolentia, & ex prima compressione perpelus in genitalibus dolor; ut cum in omnibus terè virginibus (teste Hieronymo, in libello de vitando suspecto contubernio) libido maiorem famem patitur, dum dulcius esse putant, quod nesciunt; Rea quoque speratum carnis titillationem statim non sentiens, opinione decepta crediderit se perfectè non fuisse cognitam, & devirginatam, quæ ex devirginatione voluptatem, non dolorem expectaverat. * Vnde etiam in hac rei incertitudine, pro perfectione copulæ stet juris præsumptio, tunc præsertim, quando mulier sic constituitur maritum ad claustra pudoris pertigisse, sed negat virilis officij complementum, locum habere debet, quod deciderit Archidiaconus, in c. 1. nu. 3. de impub. dispensat. lib. 6. si eò casu mulier velit intrare religionem, Ecclesia sese debeat ei opponere, & ingreßum prohibere.*

Concurrentibus itaque tot rerum argumentis & circumstantiis; expensa quoque Reæ confessione, quæ ter se compressam illâ nocte fateatur à marito; & respectu habito ad conditionem utriusque, & quidem dictæ Reæ ultro in mariti lectum & amplexum proruentis, in ætate ad cunilvius viri congressum idonea; Auctoris verò tamquam in ea arte ex priore coniugio satis probi artificis, quique Ream (cujus nuptias ob divitias ambiverat) colendo, voti compotem, hoc est ex virgine mulierem efficere omnino adlaborasse præsumi debet: nihil est, cur Auctor non sit admittendus ad assertionis suæ confirmationem per juramentum, reiectâ impudicâ inspectionis oblatione. Proinde partes Domini Iudicis sunt in hac causa, ut dictam Ream ab ingreßu Monasterij, secundum prædictam Archidiaconi sententiam, retrahat & mariti consortium sequi mandet, condemnando eandem in expensis.